



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXVII. Vtrum virtus Pœnitentiæ sit necessaria ad remissionem
peccatorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

experimental, certaue notitia de praesenti dilectione Dei super omnia tum actuali, tum habituali, adeoque de perfecta coniunctione naturaliter possibili cum summo bono, & de dispositione similiter perfecta respectu ultimi finis naturalis. Hæc autem sufficerent ad reparationem adequatam totius mali præcedentis, adeoque ad iustificationem, & felicitatem propriam illius status, & æquivalentem innocentie penitus illibatae, vt liquet ex dictis supra. Quapropter posterior ista notitia tolleretur, priori illi memoria peccati antea commissi, vim ulterius contristandi, ac augendi, solamque relinqueret vim inductiuam detestationis peccati, & humiliationis de illo antea perpetrato, coniunctam cum gaudio de victoria obtenta aduersus idem peccatum, & aduersus pertinaciam seu obstinationem, ac impoenitentiam circa ipsum; vti proportionaliter contingit de facto in praesenti eleuationis statu.

Art. 1. Ad 4. Natura humana, se sola, & secundum se præcisè, est dignitas, & vis inductiua sufficiens respectu sui ultimi finis, & beatitudinis naturalis, cum solis auxiliis, & concursu Dei, vt authoris naturalis idest debitis eidem naturæ secundum se. Vnde homo decedens, pro statu puræ naturæ, absque villo, aut peccato, aut bono opere, consequeretur iure suo, æternam beatitudinem naturalem. Nullum autem peccatum, ita corrumpit, vt destruat naturam peccantis. Ergo peccatum puræ naturæ non ita corrumpit, vt etiam destrueret dignitatem, & ius beatitudinis Naturalis, vt potè identificata cum natura peccantis, sed solum eam impedit, ac ligaret. Manifestum porro est retinenti ius, & dignitatem ad aliquid, licet cum impedimento, & exceptione ex delicto, non tot, ac talibus opus esse impensis, & compensatione per bona opera, vt potatur termino sui iuris, ac dignitatis quot, & quali opus illi est, qui ius ipsum, & dignitatem totaliter amisit.

Art. 2. Quapropter licet homini supernaturaliter eleuato necessaria sit post peccatum satisfactio ad æqualitatem, vt perueniat ad suum vltimum finem vtque delecto, ac remisso peccato acquirat dignitatem, & ius æternæ beatitudinis, quæ totaliter destruntur per peccatum, & non solum impediuntur, ac ligantur, non propterea concluditur, etiam homini non eleuato supernaturaliter, necessariam similiter esse æqualem satisfactionem, vt iure suo absque noua gratia vltimum suum finem naturalem consequatur. Conceditur itaque nullam puræ creaturæ satisfactionem, posse esse æqualem vili peccato lethali etiam commissio pro statu puræ naturæ. Sed negatur esse necessariam tantam, ac talem satisfactionem, pro statu naturæ puræ, ad deletionem peccati, & ad consecutionem vltimi finis naturalis, impeditam per ipsum peccatum. Sufficit enim, absque alio dono simpliciter, & absolute gratioso, ac liberali, conuersio peccatoris ad summum suum bonum, contenta intra ordinem viresque naturæ. Quia per eam conuersionem reponitur iterum peccator in pristino statu bonæ dispositionis actualis, & habitualis, ac permanentis respectu sui vltimi finis naturalis, vt dictum est. Quod non ita contingit in statu eleuationis non superaddita ulterius habituali gratia Dei intrinsecè supernaturali, vt ostensum est q. 11. de iustif. Comparatur nimirum peccans pro statu puræ naturæ cum eo, qui peccat pro statu puræ eleuationis, ad eum ferè modum, quo comparatur obæratum cum spoliato suis rebus, ac iuribus; & qui habet potentiam ambulatiuam ligatam, aut vulneratam, cum eo, cui abscinduntur pedes.

Ad 5. Dona supernaturalia de quibus solis loquitur Apostolus, superant spem naturalem; non tamen dona naturalia. Remissio autem peccati naturæ puræ est

naturalis, & fit per naturalem, tum dilectionem Dei, tum habitum diligendi Deum, sicut remissio peccati commissi ab homine eleuato est supernaturalis; & fit per habitum supernaturalem diligendi Deum infusum ab ipso Deo. Ergo sicut remissio ista posterior speratur per virtutem supernaturalem, & obtinetur per virtutem poenitentiae itidem supernaturalem. Ita prior illa remissio speraretur, pro statu puræ naturæ, virtute naturali, & virtus poenitentiae itidem naturalis posset vtiliter operari in ordine ad eam obtinendam.

QVÆSTIO LXXVII.

Vtrum Virtus Poenitentiae sit necessaria ad remissionem peccatorum?

Videtur non esse necessaria. 1. Quia maior est misericordia Dei, quam hominis, homo autem remittit interdum offensam alij homini etiam non poenitenti, atque ita facere tenetur iuxta illud Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo multo magis remittit Deus offensas etiam non poenitentibus; seu adhuc inimicis, & odio habentibus.

2. Sacramentum poenitentiae, quod est opus Dei ordinatum ad remissionem peccatorum, non est necessarium nihilominus ad illam. Quia absque hoc sacramento remisit Christus Dominus peccata, tum adulteræ Ioann. 8. tum mulieri peccatrici Luca 7. & sic martyribus atque aliis non raro; Ergo actus poenitentiae. Qui est opus hominis ordinatum ad eundem finem, multo minus, est necessarius ad consecutionem ipsius. Patet consequentia, quia cum remissio peccati spectet ad Deum, impossibile est vt magis ad eam requiratur opus hominis, quam opus Dei ordinatum ex se ad ipsam remissionem.

3. Actus charitatis potest haberi absque actu poenitentiae. Quia charitas habet motiuium independens à motiuium, & sine poenitentia. *Charitas autem operit multitudinem peccatorum*, vt habetur. 1. Petri. 4. 8. Ergo remissio peccatorum potest obtineri absque actu poenitentiae.

Art. 1. Respondetur. Certum imprimis est, paruulis, & nondum habentibus vsum rationis non esse necessariam poenitentiam pro remissione peccati. Quia cum nullum habeant peccatum propria voluntate commissum, nullo indigent motu propriae voluntatis, vt iustificentur.

Art. 2. Certum rursus est adultum indigere aliquo motu, & actu virtutis poenitentiae, vt ei remittantur peccata personalia. *Si enim poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*, vt dicitur Ecc. 2. 22. Et Luc. 13. 13. dicitur: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes peribitis.* Similiter Apoc. 2. 5. dicitur: *Memento vnde excideris, & age poenitentiam sin minus veniam ad te, cito.* Ex his definit Conc. Triid. sess. 14. cap. 4. *fuit autem quoniam tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Quem motum immediate ante dixerat habere primum locum inter actus poenitentis. Demum Augustinus Ep. 50. *Saluus esse non poteris; inquit, nisi doleas te fuisse peruersum*, atque in eadem veritate prædicanda sunt admodum frequentes SS. PP. Rationem reddit D. Thom. quaest. 86. art. 2. Quia cum homo compos rationis sit agens liberum; & peccator sit liberè auersus à Deo per nimiam delectationem in rebus creatis; atque Deus vnumquodque moueat iuxta naturam ipsius: fieri non potest, saltem ex natura rei vt peccator adultus transferatur ab statu peccati ad statum iustitiae, quin ipse amet libere, atque exoptet hunc statum, oderit verò, ac detestetur statum priorem. Quod fit per virtutem poenitentiae.

Art.

Art. 3. Certum denique est actum poenitentiae virtutis specialis non esse ita necessarium determinatè, ut suppleri sufficienter non possit per actum charitatis. Quo videlicet peccator perfectissime accedit ad Deum, & recedit à peccato; ideoque disponitur optimè ad novum statum; & ad renouationem sui. Verum quia actus charitatis existere absolute potest cum, & absque formali, ac explicito dolore, & detestatione de peccatis commissis, merito quaeritur: An utrobique modo sufficiat ad remissionem peccatorum?

Art. 4. Dicendum primo est requiri per se dolorem formalem, & explicitum de peccatis. Quia superiora testimonia exigunt actum poenitentiae tanquam omnino necessarium ad remissionem peccatorum. Actus autem charitatis dicitur poenitentia ratione doloris adiuncti. Per quam videlicet solum specialiter conuenit cum actu poenitentiae pro ut est peculiaris virtus, & quem hoc nomen vel maxime significat, ut apparet ex definitionibus poenitentiae productis supra quaest. 75. in 7. argumento, & ad quaest. art. 5. & 6. Idem ostendit ratio nuper adiuncta illis Testimoniis ex D. Thoma.

Art. 5. Dicendum rursus est fieri posse per accidens, ut peccator eliceat actum charitatis absque dolore formali, & explicito de peccatis; & consequenter fieri per accidens posse, ut obtineatur remissio peccatorum absque eo dolore. Probatur prior pars, quia fieri potest, ut peccator cogitet de bonitate diuina oblitus peccatorum; vel certe nihil interim cogitans de illis actualiter; idque absque ulla, pro tunc, noua culpa. Probatur pars posterior. Quia actui charitatis repromittitur venia peccatorum, in sacris litteris, ut apparet ex quaest. 1. de iustif. ac proinde illam inferri infallibiliter, utcumque eliciatur; siquidem fuerit verus, ac proprius actus charitatis.

Art. 6. Notanter potè dicitur, separationem istam amoris à dolore formali contingere posse per accidens. Quatenus inculpabiliter accidere potest ut nulla adsit actualis cogitatio de peccatis; si enim adsit hæc cogitatio, fieri nequaquam poterit, ut diligatur Deus absque detestatione formali peccatorum. Primum quia quoduis bonum mouet indiuisim ad amorem sui, & ad odium oppositi, ut dicit D. Thom. in praesenti quaest. 85. art. 6. Deinde quia amicorum proprium est eadem velle, & nolle, ut dicit Philosophus; ideoque actus charitatis, qui est amor amicitiae erga Deum, determinat ex sua natura ad odium peccati, utpotè odio habiti à Deo. Demum quia cogitans actu de turpitudine peccati ac proinde proxime liber ad detestationem eius, si nihilominus omittat detestari, eo ipso contemnit malitiam peccati & recessum ab ipsa. Hic autem contemptus est impossibilis cum appretiatione Dei, quæ est de conceptu dilectionis eius super omnia; quandoquidem peccatum contrariatur Deo. Quia ratione est impossibilis amor amicabile hominis erga hominem, cum contemptu agnitiois ipsum vexantis, & cum animo negligenter indifferenti, ac neutro circa illam.

Art. 7. Ex his rationibus apparet ulterius dilectionem Dei conceptam, dum non adest actualis memoria peccatorum, esse nihilominus detestationem eorum virtualem, & æquivalentem. Quia, ex vi sui motui formaliter voliti, est dispositio animi necessario illatura detestationem formalem, si adesset cognitio detestabilem. Vnde ea dilectio perinde sufficit ad inducendam remissionem peccatorum, ut modo dicebatur, verum quia actus poenitentiae virtutis specialis, est facilius quam actus charitatis, ut apparet ex quaestione 40. de virt. Theol. & Rursus actus charitatis redditur facilius præhabito actu formali poenitentiae, ut dicitur quaest. 83. atque principium ducitur per se à facilioribus, concluditur actum

formalem poenitentiae etiam determinatè sumptum esse necessarium per se ad remissionem peccatorum. Necessitate saltem secundum quid, atque ad facilius, & commodius posse. Quæ omnia sunt conformia communiori Theologorum sententiae, ut videlicet apud Suarez disp. 9. sect. 1.

Ad 1. Diuina peccati remissio perficit peccatorem intrinsecè, eumque liberat à statu peccati: ideoque misericordia Dei condonantis peccatum, est maior, ac efficacior, quam misericordia hominis, cuius remissio solum perficit ipsum remittentem, eundemque solum disponit, ut liberetur à peccato. Vnde remissio Dei, intrinsecè postulat, ex parte hominis libertate præditi, dispositionem congruentem perfectioni gratiae inducendæ in ipsum; remissio vero hominis ob rationem contrariam, nihil tale postulat quin imo tenetur iniuriatus ad remittendam iniuriam, durante etiam indispositione positiua eius, qui illam intulit. Quia scilicet vnusquisque tenetur ad propriam perfectionem ac bonitatem, ut cunque se habeant ceteri. Quæ ratio differentiae desumitur ex D. Thoma in dicta quaest. 86. art. 2. & pluribus illustrata est quaestione. 8. de iustif. Præterea remissio Diuina est remissio propria Iudicis; atque ad iudicem spectat inspectio rei, & consideratio dispositionis eius. Humana verò remissio est propria conciliis ordinati, & obligati quantum est ex se ad suam secundum se, & ad mutuam cum aliis tranquillitatem, & pacem.

Ad 2. Sacramentum est causa instrumentalis tenens se ex parte Dei, qui est causa principalis gratiae remissivæ peccatorum; & sufficiens se solo, ideoque potens illum infundere, etiam ex natura rei, nullo interposito instrumento, quoties ita expedierit. At poenitentiae virtus, se tenet ex parte peccatoris, qui secundum se non est dispositus, nec sufficiens ad susceptionem eiusdem gratiae; ideoque non potest eam in se recipere ex natura rei, & sine miraculo, nisi præhabito actu poenitentiae, esto probabile sit posse de potentia absoluta ut apparet ex quaest. 10. de iustif.

Ad 3. Patet ex dictis ad quaestionem præsertim art. 7. Superesset hic dicendum de tempore, pro quo necesse est agere poenitentiam, seu pro quo obligat præceptum de actu poenitentiae. Verum, hac de re dicetur commodius infra quaest. 87. circa sacramentum poenitentiae.

Q V A E S T I O LXXVIII.

Virum omnia peccata possint deleri per poenitentiam?

VIdetur non posse, 1. Quia aliqua peccata sunt irremissibilia, ut colligitur ex Matth. 12. 32. *Qui autem dixerit contra spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Et 1. Ioh. 5. 16. *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis, peccatum autem, de cuius ratione est, ut nunquam remittatur, utque sit ad mortem & pro cuius remissione obtinenda est inflexibilis, proindeque inanis oratio: planè est irremissibile, ac indelebile per poenitentiam.*

2. Deus intercludit quibusdam omnem aditum ad poenitentiam salutarem. *Impossibile enim est, ut dicitur. 6. ad Hebr. 4. eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam, &c. & prolapsi sunt, rursus veniendi ad poenitentiam.* Huc alludere videtur August. lib. 1. de serm. Dei in monte versus finem, dum dicit tantam esse labem illius peccati, quo post agnitionem Dei per gratiam, & fraternitatem